



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Alberstadiensi Et.. Merseburgensi Episcopis, & ... Abbatijohannis in monte  
Magdeburgensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

quam prohibeatur. justitia nimur matricis Ecclesiae ac reverentia salva. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum licet præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur corum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolicae auctoritate. Ad indicium autem quod idem monasterium beati Petri juris existat, unam libram argenti annis singulis, nomine censu, nobis nostrisque successoribus persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularis persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundò tertio comonita nisi reatum suum congrua satisfactio correxerit &c. usque subjaceat ultiō. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, qua. &c. usque in finem. Datum Romæ apud sanctum Petrum, per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Cosmidin Diaconi Cardinalis, S. R. E. Cancellarij, Non. Martij, Indictione IX. incarnationis dominice anno M C C V I. pontificatus vero Domini Innocentij Papæ III. anno decimo.

## CAPITVLO MAGDEBURGENSI.

*Epiſt. 7.*  
Prohibetur eis  
ne certa iura &  
bona eorum  
alii quam Canonicis vendere  
vel locare  
valcent.

**V**enerabilis frater noster Albertus Archiepiscopus vester nobis humiliter supplicavit ut inhibere vobis auctoritate apostolica dignaremur ne quis vestrum curias vel claustrales areas, que vendi debent tantummodo Canonicis Magdeburgenibus vel locari, personis alii donare, vendere, vel locare præsumat. Nos igitur ejus precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium inhibemus ne curias vel areas supradictas alii quam concanonicis vestris præsumatis donare, vendere, vel locare; dummodo ipsi justum pretium offerant pro eisdem. Datum Romæ apud sanctum Petrum II. Non. Martij, anno decimo.

*.. ALBERSTADIENSI ET .. MERSEBURGENSI Episcopis, & .. Abbatii sancti Iohannis in monte Magdeburgensi.*

*Epiſt. 8.*  
Quod Presbyters & alios  
viros idoneos in  
ipsa Ecclesia in

**V**enerabilis frater noster .. Magdeburgensis Archiepiscopus sua nobis insinuatione monstravit quod cum bonæ memorie Benedictus & Iohannes

Papa predecessores nostri Canonicis Magdeburgenibus ministrantibus altari majori in quibusdam festivis diebus scandalorum usum duxerint concedendum, sicut in ipsorum privilegiis continetur, ple-

Canonicos &  
frates recipere  
non reculent  
non obstante  
privilegio  
quondam eis  
concessio.

rique Canonicorum, illius occasione indulti, aiunt neminem ad illius altaris ministerium debere admitti qui non fuerit cum scandalis ordinatus. propter quod Presbyteros disserentes pariter & honestos, qui possent eidem Ecclesiae utiliter servire, in fratres & Canonicos assūmere contradicunt. Cum igitur ex gratia sibi ab apostolica sede collata idem sumere non debeant materiam malignandi, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus facientes vobis dictum privilegium præsentari, & eo diligenter inspecto, si nihil aliud de scandalis contingatur in ipso nisi quod ministri altaris eis certis diebus utantur, auctoritate nostra Magdeburgensi Capitulo injunctionis ut propter hoc Presbyteros idoneos & alios viros honestos, cum necesse fuerit, in fratres & Canonicos recipere non recusat. Alioquin etiam Archiepiscopus suis in eodem non celebraret altari, cum non fuerit a nobis in scandalis ad officium sacerdotale promotus, cum nos neminem cum scandalis in Presbyterum ordinemus, sed utrem scandalis in Episcopum consecramus. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani VIII. Idus Martij, anno decimo.

## MAGISTRO GERVANDO.

**L**icet causam quæ vertitur inter venerabilem fratrem nostrum Albertum Archiepiscopum & quosdam Canonicos Magdeburgenses super collatione quarundam præbendarum ab eodem Archiepiscopo facta, quarum una tibi ab ipso extitit assignata, venerabilibus fratribus nostris .. Merseburgensi & .. Havelbergen. Episcopis commiserimus fine canonico terminandam, nos tamen devotionem quam erga personam nostram & Romanam Ecclesiam habere dinoceris attendentes, intuitu quoque probitatis & litteraturæ tuae, ita duximus providendum, ut si ad Archiepiscopum ipsum, eo tempore quo dictam præbendam tibi contulit, ipsius donatio pertinebat, quod circa te factum est de ipsa præbenda, in sua permaneat firmitate. Quod si ad nos tunc erat ipsius donatio devoluta, de spe-

*Epiſt. 9.*  
Confirmarunt  
collatio sibi fa-  
cta, cuiusdam  
præbenda Mag-  
deburgensis.